

## CAPUT III.

*De rerum quæ in Pentateucho narrantur.  
veritate.*

**N**IHIL non molliuntur recentiores Deistæ, ut autorem Pentateuchi in fraudis et mendacii suspicionem vocent; quàm autem infeliciter ipsis cesserit impius ille labor, patebit ex dicendis.

## PROPOSITIO.

*Vera sunt quæ Moyses in Pentateucho scripsit.*

Probatur. Liber ille nihil nisi vera enuntiat, ejus autor non potuit decipi, noluit decipere, nec etiam potuit, etiamsi voluisset; atqui Moyses autor Pentateuchi circà ea quæ narrat non potuit decipi, noluit decipere, nec etiam potuisset, etiamsi voluisset.

Prob. 1<sup>a</sup>. Pars. Ille decipi non potuit, qui ea narrat quæ vel ipse fecit, vel propriis vidit oculis, vel ex certissimâ traditione didicit: atqui Moyses ea narrat quæ vel ipse, etc. Quæcumque enim in Pentateuchi libris, exceptâ Genesi, leguntur, hæc memorantur tanquàm vel à Moyse, vel sub ipsius oculis facta. Talia sunt miracula coram Pharaone patrata, exitus Hebræorum ex Ægypto, lex data in monte Sinai, manna è cælo divinitus missa; quæ omnia utrùm extiterint, an non, suâ propriâ experientiâ cognoscere potuit Moyses.

Quæ verò in Genesi continentur, tempusque spectant à primis parentibus ad Moysen usque elapsum, ex indubitata traditione didicit Moyses: illa enim traditio certissima est quæ versatur circà facta insignia, et prorsus mirabilia, quorum frequentissima debuit esse narratio, et quæ paucissi-

mas intrâ generationes continetur sibi diu coævus, quarum unaquæque ab alterâ, quæ gesta fuerant, ediscere potuit: atqui 1<sup>o</sup>. traditio à primis parentibus ad Moysen usque ducta, versatur circà facta maximè insignia et mirabilia: quid enim stupendum magis quàm mundi creatio, primi hominis peccatum, diluvium universale, et alia hujusmodi? Ea est autem notissima hominum indoles, ut eventus memorabiles sibi cognitos aliis referre ament, ad filiosque suos et nepotes crebrâ narratione transmittere. 2<sup>o</sup>. Traditio illa nonnisi paucas generationes longævas admodum, et sibi diu coævus complectitur, undè nascitur diuturna et frequens docendi et discendi opportunitas: scilicèt cum Adamo ducentis annis Mathusala, cum Mathusala sexcentis annis Noë, cum Noë quadringentis et quinquaginta annis Sem, cum Sem filio Noë diu vixerunt Abraham et Isaac; Isaac verò avus fuit Levi, qui ipse Moyses avus erat, et quem pluribus annis in terris degentem vidit Moyses: ab Adamo igitur ad ætatem usque Mosaicam quinque tantum memorantur generationes, per quas traditio certissimè fuit propagata; ergo 1<sup>o</sup>. Moyses circà ea quæ in Pentateucho narrantur non potuit decipi.

Prob. 2<sup>a</sup>. Pars. Scilicèt Moysen noluisse decipere. Ille enim noluisse fucum facere merito censeatur, in quo nihil reperias, quod ab impostoris indole et agendi ratione prorsus non abhorreat: atqui in Moysen nihil reperias quod, etc. Scilicèt verum Dei cultum, doctrinam sanctissimam et mendacio inimicam hominibus passim instillat; summam in omnibus modestiam exhibet; si quid peccaverit, ingenuè fatetur, talis est nimia quibusdam in occasionibus diffidentia. Maximum famæ, ambitionis, et gloriæ contemptum præ se fert. Quidquid honoris ex filiâ Pharaonis quæ eum adoptaverat, sperare potuit, abjicit; vix ac ne vix quidem, nisi cum Deo multum diuque



obtinendam sufficiunt oculi, ora, manus, uno verbo, sensus. Poterit quidem impostor aliquis fabulis quibus à pueritiâ imbuatur populus fidem conciliare; poterit etiam leges antiquas quibus regitur ille populus, divinâ autoritate consecratas esse persuadere, ut eum veteri jugo subjectum teneat: nunquam, verò id assequetur, si agatur de novis legibus, duris præsertim et molestissimis: quò crassioris erit ingenii populus ille, eò magis erit hujusmodi legum impatiens; non nisi per vim aut manifestam autoritatem ac rationem, ad subeundum jugum illud importunum cogi poterit: porro inermis fuit Moyses; ergo ut Judæi ipsius autoritatem legesque austeras non detrectaverint, eos persuasum habuisse necesse est, Moysis principatum veris niti miraculis.

Obj. 2<sup>o</sup>. Docet Moyses omnes ab uno exortos esse homines: atqui id falsum est: inter homines enim qui varias terræ partes incolunt, alios videas albos, alios fuscios, alios nigerrimos: atqui possibile non est homines coloribus adeò discrepantes, ab uno eodemque homine prodiisse; ergo falsum refert Moyses. Ita cavillatur autor libri cui Titulus, *Philosophie de l'Histoire*. (Cap. 7.)

Resp. Neg. min. Hæc enim generis humani varietas, quæ se prodit in coloribus, non diversam probat hominum originem, sed vario ex climatum situ, diverso victu, aliisque temperamentis pendet; quod adeò verum est, ut si homines albos è solo patrio in alias quasdam regiones sese recipiant sensim et longo temporis lapsu eorum posterius nigrum colorem induant; ne quis autem id commentum fabulamque redolere suspicetur, historiam et experientiam interrogemus. Saraceni seculo septimo, occupatâ parte occidentali Africæ, ibi suas sedes collocarunt. Inter eos alii erant penitus candidi, alii fuscii, pro diversitate climatum ex quibus eruperant. Post aliquot autem generationes contigit ut, mutato colore, eorum nepotes

nepotes non minùs nigrescerent, quàm veteres Africæ incolæ; ex iis nullus fuit qui sub Zonâ Torridâ primævum colorem retinuerit. Contrà verò Saraceni qui Hispaniæ partem invaserunt, ibique commorati sunt, nullam coloris mutationem experti fuerunt, nec priorem amisere.

Aliud sit exemplum: Lusitani quidam seculo decimo quarto in Africam sese transtulere, quorum posterius varias insulas, orasque maritimas postea incoluerunt. Nigri procul dubio non erant, cum ibi suas sedes figere cœperunt; ex illis autem Lusitanis, qui Fortunatas Insulas, Gallicè, *les Isles Canaries*, frequentarunt, nullam aut non nisi levissimam coloris conversionem ex tribus seculis experti sunt. Contrà verò qui oras Africæ maritimas, Zonæ Torridæ viciniore habitarunt, tantam subière mutationem, ut nigerrimum, non secùs ac indigenæ, colorem induerint; illos ex eâ regione oriundos juraveris, nisi ipsorum idioma, religio, leges, mores suam ex Lusitania originem proderent.

Illustria quæ protulimus exempla nonne manifestè probant, suam nonnullos populos nigredinem à natura non trahere, verùm à causis quibusdam externis simul conjunctis; quales sunt adustio solis, diversæ aëris, alimentorum, potùs, et exhalationum qualitates variis regionibus propriæ! Tanta est enim aëris, solis, caloris, frigoris in corpora vis et efficacia, ut luporum, ursorum vulpiumque pelles in Moscovia et Polonia per hyemem videantur canescere, dum per æstatem ad nativum colorem redeunt. Ea de re videas opus eximium cui titulus: *Lettres d'une Mère à son Fils pour lui prouver la vérité de la Religion*, etc. (Tom. 3. pag. 420. et suiv.) Ergo colorum varietas quæ populos discriminat, non probat genus humanum ab uno eodemque homine, scilicet Adamo, non prodiisse.

Inst. Cum novus orbis seculo XV. detectus

fuit, incolis jam erat frequentissimus; atqui ex communi ceteris hominibus parente non orti sunt: siquidem nulla erat novum inter et veterem orbem communicatio; ergo omnes homines ab uno Adamo suam non ducunt originem, ut refert Moyses.

Resp. Neg. min. Inter veterem scilicet et novum orbem, sive Americam, ante Chistophori Colomb ætatem omnes interclusas fuisse vias communicationis, confidentius pronuntiant adversarii.

1<sup>o</sup>. Enim apud Americanos quædam rituum et dogmatum in orbe veteri usitatorum reperta sunt vestigia; quod sanè indicium est non dubium, ipsos nostram terram quondam habitasse, et ab ea in novum orbem, quæcumque tandem fuerit via, commeasse. Sic, v. g. Diluvii historiam, unamque ex eo servatam familiam noverant Americani: circumcisionem habent Mexicani; Jubilæum quinquagesimo quolibet recurrente anno, et Sabbatum septimo die celebrant. 2<sup>o</sup>. Verisimile omninò est Americam alicubi versùs Septentrionem nostræ continenti terræ cohærere; vel saltem olim cohæsisse; sed ingruentibus Oceani fluctibus, vel quodam terræ motu divulsam fuisse, quemadmodum Sicilia contigisse dicitur. 3<sup>o</sup>. Nonne potuit aliquem in Americam aditum aperire navigatio, vel à primis temporibus cognita? Nonne fieri potuit, ut navis aliquâ tempestate jactata, in Americam delata fuerit; cujusmodi ea fuit quæ Lusitanos in Brasiliam, gallicè, *le Brasil*, detulit? Ex iis omnibus satis patet quàm temerè asserant adversarii ante seculum XV novum orbem cum veteri nullo modo communicasse.

Obj. 3<sup>o</sup>. Moyses mentionem facit de quibusdam gigantum populis, qui vulgarem hominum magnitudinem longè superant, sed inter eos unus eninet nomine *Og*, cujus altitudo quindecim erat pedum. Stupendam illius magnitudinem probat lectus quo utebatur; referente enim Moysè, lon-

gitudinem novem et latitudinem quatuor cubitorum habuit: (*Deuter. 3.*) atqui prodigiosi illi homines non nisi in fabulâ exitière; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Iis enim quæ Moyses narrat de gigantibus omnimoda fides debetur. 1<sup>o</sup>. Quia perspicuos viri ingenui et veracis characteres præ se fert, ut ex dictis abundè patet. 2<sup>o</sup>. Quia ejus testimonium confirmant alii benè multi scriptores, ut facile cognoscet quisquis Dissertationem doctissimi Calmeti hac de re editam legerit. 3<sup>o</sup>. Quia factum illud possibile est; gigantes enim existere à naturâ non est prorsùs alienum: nonne videmus inter ejusdem speciei arbores alias esse pumiliones, gallicè, *arbres nains*; alias verò procerissimas? Intet ejusdem generis animalia, nonne alia sunt omninò pusilla, alia autem maxima? Nonne inter homines etiam multi reperiuntur staturæ admodum brevis? Porro si causæ naturales ita possunt esse comparatæ, ut ex illis prodeant homines insolitæ brevitatis; cur etiam non possunt eo modo esse dispositæ, quæ valeant homines inusitatæ magnitudinis producere? Quemadmodum enim quidam homines alios vitæ longitudine superant; ita etiam nonnulli possunt ceteros corporis proceritate et mole plurimum vincere. Denique in Americâ Meridionali videntur gigantes, gallicè dicti, *Géans Patagons*; cujus facti testes habemus oculos, quorum testimonia diversis temporibus et locis edita, omnem excludunt fraudis suspicionem. Quâ de re consulatur Tom. 17. operis cujus titulus, *Histoire des Voyages par M. l'Abbé Prévôt*.

Obj. 4<sup>o</sup>. Scribit Moyses ex unaquaque animalium immundorum specie bina, masculum et feminam; ex singulis autem animalium mundorum speciebus septem, Arcam Noë fuisse ingressa, et durante diluvio servata: atqui hæc vera esse non possunt. Major quippè erat animalium numerus, major etiam alimentorum, quæ necessaria erant, copia,

quàm ut in Arcâ contineri potuissent ; ergo vera non est Moysis historia.

Resp. 1°. Diluvii historiam , qualis à Moysè describitur, in dubium revocari non posse , quia suam Pentateucho veritatem jam vindicavimus. Nec morari nos debent difficultates quas obtrudere non desinunt increduli : ad eas enim solvendas vel necesse est ad miraculum confugere , vel non ; si ad eas diluendas non opus sit ad miraculum recurrere , intacta manet assertio nostra ; si verò requiritur miraculi subsidium, adhuc salva est, quia operationem divinam admittere nihil vetat in factò, quòd à Moysè ut grande miraculum nobis proponitur. Cùm autem prodigia absque necessitate non sint multiplicanda , ideò singulas quæ nobis opponuntur diluvii circumstantias ita expendemus , ut pro diversa rerum conditione , vel naturam vel miraculum in iis explicandis advocemus ; itaque

Resp. 2°. Neg. min. Et dico sat capacitatis Arcam habuisse , ut octo homines , varias animalium species , et omnia ad victum necessaria continere potuerit. Quà in re demonstrandâ , felicem operam posuit D. Pelletier lib. cui titulus : *Dissertation sur l'Arche de Noë*. Observat. 1°. per animalia quæ munda intelligenda esse ea quæ Judæis licebat in sacrificium Domino offerre ; jam verò legimus quinque tandùm apud Judæos offerri potuisse , boves scilicet , agnos , capellas , columbas , ac turtures. Unde sequitur pauca fuisse animalia quæ numero septem in Arcam fuerunt recepta.

Notat 2°. juxta peritissimos Historiæ naturalis scriptores , primævas animalium species non tanto esse numero , quanto vulgo creditur ; multæ sunt enim quæ ad eandem speciem revocari possunt , qualia sunt diversa luporum , canum , boum , etc. genera.

Animadvertit 3°. teste Moysè , Arcam habuisse trecentos cubitos longitudinis , qui dant circiter 612 pedes quinquaginta latitudinis , qui efficiunt

85 pedes ; triginta cubitos altitudinis , unde coalescunt 50 pedes. *L'arche* , inquit laudatus autor , *avoit donc cinq cens douze pieds de long ; quatre-vingt-cinq de large et cinquante de hauteur ; elle pouvoit par conséquent porter plus de charge que quarante vaisseaux de mille tonneaux chacun.*

His præmissis , geometricè demonstrat autor , Arcam satis capacem fuisse , ut tùm homines , tùm diversas animalium species , tùm alimenta per annum integrum necessaria complecteretur. Cùm autem illa demonstratio ex longâ calculorum serie pendeat , quam decurrere et evolvere non sinunt præscripti nobis limites , adeundus est autor quem appellavimus. Hoc unum adjiciam , scilicet Moysen eò majorem demereri fidem , quòd Arcæ dimensiones ita descripserit , ut primo intuitu sufficere non videatur ; si enim fucum facere voluisset , in augenda potius quàm minuenda Arcæ capacitate peccasset.

Inst. Ad veritatem historiæ diluvii requiritur , ut singula animalium genera eo in loco reperta fuerint ubi erat Noë : atqui illud fieri non potuit : multa sunt enim animalia quibusdam regionibus , Americæ , v. g. propria ; ergo ficta est diluvii historia.

Resp. Neg. min. Cùm enim Deus singulas animalium species servare decrevisset , providentia sua effectit , ut quædam ex diversis generibus animalia eâ in regione congregarentur , ubi aderat Noë. Eundem in locum coire divinâ et potentissimâ illius voce , cui res etiam inaniter respondent , *adsumus* ! uno verbo dicam , qui cuncta terræ animalia et universa cœli volatilia coram Adamo primùm aduxerat , ut illis nomina imponeret , ipse est qui eadem tempore diluvii in Arcam compulit ; quis verò , nisi impius , inficiari ausit Deum illud potuisse exequi !

Inst. Decet Moysen diluvium fuisse universale. Sic enim narrat ; *Multiplicatæ sunt aquæ .... veh-*

menter enim inundaverunt, et omnia repleverunt in superficie terræ . . . operitiq; sunt omnes montes excelsi sub universo cælo : quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat : ( *Genes. cap. 7 v. 17. et seq.* ) Atque illud merum videtur commentum : ergo , etc.

Resp. Neg. min. Tùm enim autoritas Penta-teuchi, tùm ipsa experientia universalitatem diluvii testantur ; nemo quippè nescit in ipsis montium apicibus diversas numeroque infinitas reperiri maris exuvias, conchas, pisces, plantarum folia, quæ lapsu temporis in formam lapidis induruerunt ; atqui hæc totidem sunt diluvii universalis monumenta et quasi numismata ; ex illis enim foliis nonnulla sunt quæ in regionibus à nostra remotissimis, in Americâ, v. g. tantùm nascuntur, et crescunt, ut fatentur autores in arte herbariâ versatissimi, qualis est *D. de Jussieu*. Quid igitur huiusmodi plantas è natali patrioque solo avulsas in loca tam dissita transferre potuit, nisi diluvii generalis vis et impetus ?

Præterea, ut optimè notat eruditus Calmet, si Deus non totam terram, sed eam tantùm mundi partem quæ hominibus frequentabatur, fluctibus obruere voluisset, quorsùm Arcam tanto cum labore construi jussit ? Nonne facilè potuisset Noë suaque familia in eas regiones sese recipere, quæ diluvii futuræ erant expertes, quemadmodùm Loth suæque filiæ Sodomam deseruerunt, cùm Deus nefariam hanc urbem flammis abolere statuisset ? Nonne potuissent etiam cetera animalia tutum in locum sese transferre ?

At, inquires, ea diluvii non potuit esse vis, ut conchas pisciumque exuvias durissimis etiam lapidibus inseruerit. Respondeo necesse non fuisse, ut conchæ in lapides jam formatos immiterentur, quod quidem repugnare non diffitemur ; sed sufficit ut conchæ, aliæque piscium exuviæ cum terræ aquis multùm dilutâ permistæ, postmodùm rece-

dentibus aquis, unam cum terrâ massam effecerint, et temporis decursu in lapidem conversæ induruerint, quæ sanè hypothesis nihil absurdi involvit.

Inst. Undenam tanta aquæ copia erumpere potuit, ut altissimos montes quindecim cubitis superaret ? Quo pacto homines in Arcâ inclusi vivere potuissent ? Experientia enim compertum est homines non posse in montium altissimorum cacumine vitam agere. Hæc profectò sunt prorsus impossibilia ; ergo , etc.

Resp. Neg. min. Quærunr 1<sup>o</sup>. adversarii, unde erumpere potuerit tanta aquarum copia, ut montes editissimi fluctibus operirentur ; in promptu est responsum : tùm è cælo, tùm è terrâ aquæ prosilierunt. Nam *rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cæli apertæ sunt.* ( *Genes. 7. 11.* ) An mensi sunt adversarii profunditatem abyssi ? An mensi sunt aquas in terræ visceribus delitescentes ? An mensi sunt aquas in nubibus pensiles ? Aquæ in primo mundi exordio totam invollebant terram, ut constat ex *Genesi* : ( *Cap. 1.* ) ad eam iterùm mergendam cur non sufficerent ? Enimverâ montium, vel maxime celsorum, altitudo pro nihilo reputanda est, comparatè ad immensam globi terrestris molem ; nam quis nesciat terræ profunditatem esse 1500 leucarum montium autem vel maxima altitudo vix unius est leucæ ; intelligere igitur facile est eam in terræ visceribus contineri posse aquarum copiam, quæ ad montes etiam altissimos operiendos sufficiat ; quibus si adantur ingentes pluviarum torrentes, qui super terram quadraginta diebus et noctibus præcipientes sese effuderunt, penitus evanescit difficultas.

Quærunr 2<sup>o</sup>. adversarii, quo pacto vivere potuissent homines in Arca inclusi, si eam aquæ super montes altissimos extulissent ; obvium est etiam responsum. Ideò enim homines non possunt in montium editissimorum cacuminibus vivere, quod aëribi sit subtilior et tenuior ; atqui homines

ceteraque animalia crassiori aëre in Arca potiebantur, ad quamcumque altitudinem pervenisset; non poterat enim aqua assurgere, quin eadem proportione aërem sursum impelleret; quo propter nullam aut penè nullam aëris mutationem experiri debuerunt homines in Arca inclusi.

Obj. 5<sup>o</sup>. Antiquitas quam mundo Moyses adscribit, eà longè minor est, quam eidem tribuunt scriptores vetustissimi; ergo Moyses circà mundi creationem narrationi non adhibenda est fides.

Resp. Neg. conseq. Unius enim Moysis autoritas horum omnium testimoniis prævalere debet, qui circa mundi antiquitatem ab eo dissentiunt. 1<sup>o</sup>. Quia Moyses ceteros omnes historicos præcessit. 2<sup>o</sup>. Quia ex omnium consensu ante bellum Trojanum, nihil certi in scriptoribus profanis reperitur. 3<sup>o</sup>. Quia ut populis, quorum historias texunt, adlarentur, remotissimam cujus erant amantissimi antiquitatem ipsis attribuebant. Partium studio ducti, utque gentem suam magis commendarent, ipsius incunabula in tenebrosa quadam temporum caligine posuerunt. Moyses verò, nedum populo suo blandiatur, de eo multo narrat probrosa; ipsi igitur nunquam credidissent Israelitæ, nisi certa et omnibus comperta memorasset. 4<sup>o</sup>. Scriptorum, qui mundi vetustatem ultrà modum extollunt, autoritas non parùm minuitur innumeris, quibus eorum historiæ insperguntur, fabulis. 5<sup>o</sup>. Nimiam hanc mundi antiquitatem conyellit recens scientiarum et artium inventio. Varro enim Romanorum doctissimus asserere non dubitat, vix ullam suo tempore artem cognosci, quæ ultrà 1000 annos excurrat.

Inst. Manetho in sua Ægyptiorum historia, varias hujus populi Dynastias, sive Principatus, enumerat, quæ annos 53535 conficiunt; Berossus refert Chaldæos annorum 48000 observationes astronomicas habere; annales Sinensium ( *des Chinois* ) testantur gentem hanc longè ante dilu-

vium extitisse; ergo multò antiquior est mundas quàm narrat Moyses.

Resp. Neg. conseq. Inter fabulas enim ablegari debent, quæ temerè effutiunt prædicti scriptores.

1<sup>o</sup>. Quidem Manetho tempore Ptolomæi Philadelphii circà annum 304 antè Christum floruit. Græcè scripsit Ægyptiorum historiam, quam contraxit Julianus Africanus. Hujus epitomes ( *abregé* ) non supersunt nisi fragmenta quædam in Eusebii Chronico. Undenam deprompsit Manetho quidquid Ægyptiorum Dynastiis commemorat? Ex columnis, in quibus, quæ in terra *Seriadica* ( *de Sériade* ) positæ erant cum inscriptionibus: sed ubinam jacet regio hæc *Seriadica*? Quis scriptor, sive antè, sive post Manethonem, illius meminit? Nullus refert à se visas esse venerabiles illas columnas, tam religiosè servatas. Autores Græci qui discendi gratia in Ægyptum sese contulerant, et Sacerdotes consuluerant, de pretiosis illis monumentis omnino tacent. Præterea quis puerilem Manethonis credulitatem non miretur? Narrat mellis inundationem sese per Ægyptum effudisse, novam lunæ factam esse accessionem, agnum locutum, 70 reges 70 tantum diebus imperasse. Idcirco Diodorus Siculus, qui post Manethonem scripsit, ipsius autoritatem ne quidem allegat: non ita verò difficiles sunt recentiores nostri Sophistæ.

2<sup>o</sup>. Berossus, imperante Ptolomæo Philadelpho, anno antè Christum circiter 300, Chaldæorum historiam scripsit, cujus fragmenta legere est apud Josephum. Porrò si astronomicas annorum 48000 observationes ipsis attribuat, mendaciam est in suæ gentis gratia confictum. Quo pacto chimæ latere potuissent Callisthenem, qui hujusmodi observationes, ipsum rogante Aristotele, diligenter inquisierat? Quas Babylone detexit, non pertinent nisi ad annos 1093, ideoque proferuntur tantum ad tempus usque Nemrod, post susceptam turris

*Babel* ædificationem. Quinimò, teste *Plinio* ; ( *Lib. 7. cap. 56.* ) *Berosus* non observavit nisi annos 490 antè suam ætatem , per quos siderum motus inspexerint *Babylonii*.

3°. Stupendam quæ *Sinarum Imperio* tribuitur antiquitatem, nullo hujus gentis libro constare posse liquet ex famoso Imperatoris *Chi-Hoang-Ti* decreto. Princeps enim ille ultrà modum superbiens singulare consilium cepit, omnium qui eum præcesserant Imperatorum memoriam delendi: Eà mente jussit quaquà patet imperium *Sinense*, ignibus consumi omnes bibliothecas, et omnes libros, iis tantùm exceptis qui de medicina, jurisprudentia et architectura disserebant: pœnam mortis cuicumque non obtemperasset, decernebat. Cujus edicti executionem tantâ severitate prosecutus est, ut *Sinenses* plurimi parere detrectantes, teste *Du Halde*, capite damnati fuerint. Denique nonnisi post hujus Imperatoris obitum, id est, 160 ante Christum annis, unus ex illius successoribus permisit, ut colligeretur quidquid ex antea scriptis vel memoriâ, vel traditione orali servatum fuerat.

Præterea magnorum annalium *Sinensium* autores, quos summo pretio habent ejusdem gentis historici; ultro confitentur in sua historia nihil esse certi, si altius repetatur, quàm à ducentis vel trecentis antè Christum annis. Idem demonstrat *D. Fouquet*. Episcopus *Eleutheropolis*, qui 25 annos apud *Sinos* commoratus, eorum linguam et historiam per callebat. Eò spectat eruditum illius de *Chronologia Sinensi* opus, quod *Romæ* typis impressum fuit anno 1729. Quam igitur tantoperè jactitant increduli *Sinarum* antiquitatem, hæc nullis certis historiæ monumentis nititur, suamque originem non debet, nisi insanæ cuidam prurigini *Moysen* in falsitatis suspicionem adducendi.

At, inquit adversarii, ex *Sinarum* annalibus

constat eos eclipsim observasse quæ 2155 annis ante hæram *Christianam* contigit. Tanti porrò in *Astronomia* progressus gentem probant à plurimis inde seculis florentem: hæc autem rei astronomica peritia merum est commentum. Testatur enim Pater *Du Halde* eos ducentis abhinc annis, calendario ritè conficiendo impares fuisse. Qua in arte ita rudes erant, ut Pater *Verbiest* Jesuita, apud *Sinas* Evangelii præco (*Missionnaire*), eorum calendarium emendaverit, ejus accuratius concinnandi modum ipsis exposuit. Quantum in *astronomia* peregrini essent, singulari hoc exemplo probat Pater *Martini*, alter Jesuita, apud *Sinas* etiam Evangelii præco: In eorum annalibus, inquit, legitur solem, regnante *Hiao*, decem diebus totidemque noctibus supra horizontem illuxisse, ita ut generale incendium inde reformidatum fuerit. En quò recidit astronomicus ille apparatus, quo *Sinenses* in *Mosaicæ* Religionis odium decorare student recentiores *Deistæ*.

Obj. 6°. *Moyses* passim terram promissam, sive *Palæstinam*, describit, ut regionem feracissimam, melle et lacte fluentem: atqui tamen constat hanc aridam et sterilem esse; ergo, etc.

Resp. Neg. min. 1°. Enim *Hecatæus*, scriptor *Græcus*, qui *Alexandri Magni* fidus comes fuit, et proinde *Judæam* lustraverat, hanc exhibet, ut fertilem variisque fructibus abundantem ( *Apud Josephum resp. ad Appion. lib. 1. cap. 8.* ) 2°. *Josephus* ipse in *Judæa* natus eamdem fecunditatem *Palæstinæ* attribuit. ( *Lib. 5. cap. 4. de bello Jud. item lib. 3. cap. 4. antiq. Judaic.* ) 3°. *S. Hieronymus* in *Judæa* diu commoratus, *Nihil*, inquit, terrâ promissionis pinguius, si non montana quæque atque deserta, sed omnem illius latitudinem consideres. ( *in cap. 5. Isai. tom. 3. p. 45.* )

Viatores etiam recentiores testantur hanc etiam nùm esse soli naturam, quæ ferendis uberrimis fructibus maxime idonea sit. Plurimos ea de re

consentientes allegat eruditus *Bullet* in opere cui titulus: *Réponses critiques à plusieurs difficultés proposées par les nouveaux incrédules*, etc. ( *Tom. 1. p. 142. et suiv.* ) inter illos autem viatores Principem locum tenet *D. Shaw*, vir antiquitatum, Geographiæ, Physiçæ, artis tum Chymiçæ, tum Herbariæ, et Historiæ Naturalis scientissimus. De Palestina sic narrat:

*Si la Terre Sainte étoit aussi peuplée et aussi bien cultivée aujourd'hui, qu'elle l'étoit autrefois, elle seroit encore plus fertile que la plus belle contrée de la Syrie et de la Phénicie. . . . La stérilité dont quelques auteurs se plaignent, soit par ignorance ou par malice, ne vient pas de la nature même du terroir, mais du peu d'habitans qu'il y a dans le pays, et de leur paresse à faire valoir les terres qu'ils possèdent. . . . D'ailleurs le pays est fort bon par lui-même, et pourroit fournir à ses voisins du bled et de l'huile, tout comme il faisoit du temps de Salomon. ( *Tom. 23. p. 56.* )*

Obj. 7<sup>o</sup>. Narrat *Moyses* ( *Genes. cap. 8.* ) postquam arca supra montem Armeniæ constitisset, à Noëmo dimissam fuisse columbam, quæ ad ipsum rediit, viridem in rostro ferens olivæ ramulum. Quem in locum sic notat *D. De Tournefort*: *Je ne sais où la colombe qui sortit de l'Arche fut chercher un rameau d'olivier, supposé que l'Arche se soit arrêtée sur le mont Ararat, ou sur quelqu'autre montagne d'Arménie: car on ne voit pas de ces sortes d'arbres aux environs, ou il faut que l'espece s'en soit perdue. ( *Voyage du Levant, tom. III. p. 191.* )* Quæ verba delectabiliter arripiunt increduli, ut *Moysen falsi* accusent.

Resp. Esto nulla jam videatur olea in Armenia, numquid id satis erit, ut *Moyses mendacii* convincatur? nequaquam: sed præterea probandum est nullam ubi olim extitisse, quod nunquam efficiant increduli, *Strabonem* interrogent, cujus Geographia tanto pretio habetur apud eruditos. Exi-

mius ille *Geographus* in Cappadocia Armeniæ finitima natus est; optimè igitur novit quid ferat hæc regio; asserit verò ibi frequentes esse oleas.

Quo fato, inquit adversarii, contingere potuit, ut in Armenia nullæ existant olivæ? Sed vicissim ab iis quæro, inquit *D. Buller*, cur 23 tantum cedri in Libano videantur, ubi tempore *Salomonis* tanto erant numero; cur adeò paucae sint in Judæa sycomori, quarum olim erat feracissima; cur in Burgundiæ Comitatu tam raræ sint castaneæ, quæ ibi aliquot ab hinc annis erant frequentissimæ. Aliæ longè magis stupendæ in globo terrestri mutationes contigerunt.

At, pergunt adversarii, quomodo suam per annum viriditatem oleæ sub aquis servare poterunt? Næ profecto historiæ naturalis sunt rudes. Nonne refert *Theophrastes* in maris rubri fundo crescere olivas, quarum fructus oleis Græciæ vix cedunt? ( *Lib. 4.* ) Nonne testatur *Plinius* in eodem mari sylvas delitescere, quarum oleæ præcipuam partem efficiunt? ( *Lib. 3. cap. 25.* )

Obj. 8<sup>o</sup>. *Moyses* Deum sic loquentem inducit: *Statuam pactum meum vobiscum. . . . neque erit deinceps diluvium dissipans terram. . . . hoc signum fæderis quod do inter me et vos. . . . arcum meum ponam in nubibus, et erit signum fæderis inter me et inter terram. ( *Gen. cap. 9. v. 11. et seq.* )*

Quibus in verbis Auctor Dictionarii Philosophici gravissimam deprehendit contra sacros libros difficultatem. Advertas, inquit, non dici, *posui arcum meum in nubibus*; sed *ponam*: significare igitur voluit *Moyses* arcum cœlestem non semper extitisse. Phænomenum illud quod suam à pluvia trahit originem, exhibetur tanquam aliquid *supernaturale*, quo momentur homines terram deinceps aquis non esse operiendam. Quà in re error est crassissimus.

Resp. Statim evanescet proposita difficultas, si consulatur textus Hebraicus et originalis, in quo

sic legitur : *posui arcum meum in nubibus , et signum erit mei fœderis.* Quia in interpretatione , ait doctus *Bullet* , consentiunt textus Samaritanus et Versiones Syriaca et Arabica. Porrò hæc verba Iridem non referunt tanquam recens phænomenum ; sed eam exhibent veluti effectum , qui à mundi initio existens , deinde , ita institente Deo , factus est signum fœderis cum hominibus constituti ; impia igitur Philosophi cavillatio , vel ignorantiam , vel malam fidem demonstrat.

Obj. 9°. Narrat Moyses quintâ plagâ , sive gravi peste , *mortua esse omnia animantia Ægyptiorum.* ( *Exod. 9. 6.* ) Quo pacto igitur dicere potuit plagâ septimâ , sive grandine , *periisse in omnî terrâ Egypti cuncta quæ fuerunt in agris , ab homine usque ad jumentum ?* ( *Ibid. v. 25.* ) Si quintâ plagâ interierint omnia animantia Ægyptiorum , quomodo potuerunt quædam septimâ plagâ enecari ? Quomodo deinde potuit Pharaô Israëlitas cum numeroso equitatu persequi ? Nonne ibi aperta est contradictio , inquit autor dictionarii Philosophici ?

Resp. Vox *omnis* in Scriptura Særa non semper absolutam universitatem significat , ac frequenter non exprimit , nisi quædam ex cunctis speciebus. Cujus consuetudinis innumerata sunt exempla. Sic apud Matthæum , Christus dicitur *sanans omnem languorem et omnem infirmitatem in populo* ( 4. 23. ) id est , omnes morborum et infirmitatum species. Apud Lucam Pharisæos sic alloquitur Christus ; *Decimatis . . . . omne olus* ( 11. 42. ) , id est , omnia olerum genera. Vox *omnis* eodum sensu accipitur in gallico idiomate. De quibusdam enim Magnatibus dicimus , ab iis *omnes* benignè et comiter accipi , id est , omnium conditionum homines. Cùm igitur ait Moyses omnia Ægyptiorum animantia peste interiisse , vox *omnia* de qualibet animantium specie intelligenda est : non de singulis animalibus.

Quod spectat ad Pharaonis equitatum , mirum non est eum à nostro censore *numerosum* dici , quamvis ista vox in Scriptura non reperiatur : id enim poetis familiare est ut verbis exagerint ; sed nullo modo excusari potest , quòd caput Exodi , unde suam ducit difficultatem , tam oscitanter legerit. Nonne advertere debuisset , eos qui Moysis comminationi fidem adhibuerunt , suos equos in stabulis retinuisse , ubi tuti fuerunt à grandine , quæ alios enecavit qui in agris reperti sunt. Iis autem equis à grandinis clade liberatis usi sunt Pharaonis equites. Qui *timuit verbum Domini de servis Pharaonis , fecit confugere . . . . jumenta in domos.* ( *Exod. 9. 20.* )

Obj. 10°. Juxta Genesim ( *cap. 12. v. 4.* ) Abrahamus 75 annos expleverat , quando ex Haran egressus est , post patris sui *Thare* obitum ; sed refert eadem Genesim ( *cap. 11. v. 32 et cap. 12. v. 1.* ) *Thare* , postquam annos 70 natus Abrahamum genuisset , vixisse 205 annis , et Abrahamum ex Haran non profectum esse , nisi post patris mortem. Unde pronum est colligere , Abrahamum annos 135 attigisse , quando ex Haran discessit. Si enim ex 205 annis quibus post genitum Abrahamum vixit *Thare* , subduxeris 70 , supererunt 135 anni.

Eò spectat Autor Dictionarii Philosophici , ut persuadeat Moysen pugnantly loqui , quasi Abrahamo , cùm ex Haran profectus est , tribueret modo 75 , modò 135 annos.

Resp. Quia in libro Genesim dicitur : *vixit Thare septuaginta annis , et genuit Abram , et Nachor , et Aran ,* ( *cap. 11. v. 29.* ) inde concludunt adversarii Abrahamum fuisse fratrum natu maximum , ipsoque septuagesimo *Thare* anno procreatum. Quæ consecutio saltem incerta maximè est : eadem enim Genesim narrat à Noè genitos esse tres filios , Sem , Cham et Japhet : atquæ tamen non Sem , sed Japhet erat natu maximus

Ideo Abrahamum primo loco Moyses appellat, quia suis fratribus longè illustrior fuit, electæque gentis caput.

Præterea textus Hebraicus qui vitam Thare ad 205 annos protrahit, plurimum à textu Samaritano dissidet, qui annos tantum 145 Thare attribuit. Quæ lectio cum aliis numeris apprimè consentit, et ne levissimam quidem contradictionis umbram relinquit. Si enim ex 145 demas 70, supererunt 75 anni qui Abrahami ætatem efficiunt. Idcirco lectionem hanc textui Hebraico doctissimi viri anteponunt, quem in ea parte amanuensium incuriã vitiatum existimant. Ita sentiunt Bochart, Houbigant, etc.

Obj. 11°. Nulla, inquit hodierni Sophistæ, arte chymicâ fieri potest, ut aurum in pulverem convertatur, qui hauriri possit; quod tamen factum fuisse testatur Moyses.

Resp. Quantum in arte chymica rudes sint Moysis censors, probat hæc difficultas. Quod enim fieri posse tam confidenter negant, id consecutum se declarat D. Sihal, qui in tractanda et perficienda Chymia plurimam laudem sibi peperit. Ipsius ea de re Dissertationem consulas, quæ in ejus opusculis reperitur. Ibi sic affirmat; *Le sel de tartre mêlé au souffre dissout l'or, au point de le réduire en une poussiere qu'on peut avaler.*

Doctissimus etiam medicus in opere cui titulus: *Nouveau cours de Chymie*, hæc habet insignia; *Le natron, matiere connue dans l'Orient, et sur-tout près du Nil, produit le même effet; Moÿse connoissoit parfaitement bien toute la force de son opération, et il ne pouvoit mieux punir l'infidélité des Israélites qu'en leur faisant boire cette poudre: parce que l'or rendu potable par ce procédé, est d'un goût détestable.*

Obj. 12°. Asserunt iidem Critici Aaronem, rogante populo, intra unam diem vitulum ex

auro fudisse (*fundu*): atqui absurdum est, inquit, id tempore tam brevi fieri potuisse.

Resp. non aliudè quàm ex sua fervidiori imaginatione factum illud deprompserunt adversarii: de tempore enim quod adhibitum fuit, ad vitulum ex auro fundendum prorsus tacet Scriptura. Si ergo illud opus intra unum diem fieri potuisse, adversariis absurdum videatur, quâ fronte absurditatem hæc Moysi tribuunt, qui ea de re omninò silet? Porro censoribus nostris facile est inepta in scriptore quolibet deprehendere, si ipsi affingant quidquid commenti in eorum mentem venerit.

Obj. 13°. cum Collins, Tindale, Bolinbrock, Voltaire; quomodò satis auri subministrare poterunt Judæi ad conflandum hunc vitulum. cum ne quidem habuerint unde suas reficerent soleas?

Resp. Hic non agitur de vitulo colossæo, sed de vitulo qui ante populum gestari posset, ac proinde molis exiguæ. Sic enim Aaronem populus urget; *Fac nobis Deos qui nos præcedant.* (Exod. 32. 1.) Quo pacto satis auri contulerint Israëlità ad efficiendum vitulum gestatu facilem, satis indicat Scriptura his verbis: *Dixitque ad eos Aaron: tollite in aures aureas de uxorum, filiorumque et filiarum vestrarum auribus, et afferte ad me; fecitque populus quæ jusserat, deferens in aures ad Aaron: quas ille accipisset, . . . . fecit ex eis vitulum conflabilem.* (Ibid. v. 2 et seq.)

Obj. 14°. cum autore operis cui titulus, *Traité de la tolérance*, et aliis: Israëlità, devictis Madianitis, in eorum castris invenerunt ovium 675000, boum 72000, asinorum 61000 et puellarum 32000: Madianitarum tamen regio non habet nisi octo leucas longitudinis, et totidem ferè latitudinis; tanta igitur præda merum est Moysis commentum. Mirum est quantum difficultatem hanc obrudere ament recentiores Deistæ.

Resp. 1°. Fateor equidem absurdum esse tantam

animalium et filiarum multitudinem in castris repertam fuisse : quot enim inde contigissent incommoda , quot impedimenta ! Cuinam verò tribuenda est hæc insulsitas ! an Moysi ? nequaquam. Nèdum enim dixerit immensam hanc prædam in hostium castris extitisse , imò contrarium apertè significat. Nonne refert Israëlitas , post victoriam , in Madianitarum regionem dispersos , hinc et inde pecora et filias rapuisse ? Nonne scribit , postquam ad legislatorem suum rediissent , eos spolia numerasse , quæ ad summam suprâ descriptam pervererunt ! ( *Exod. cap. 21.* ) Non igitur è castris , verùm è tota regione Madianitarum , tot animalium et puellarum millia sustulerunt. Quam ergo Moysi affingunt absurditatem , hæc in ipsos adversarios recidit.

Resp. 2<sup>o</sup>. Non absurdè diceretur in tota Madianitarum regione inventa fuisse triginta duo filiarum millia , quamvis ipsi non assignarentur , nisi octo leucæ longitudinis , et totidem ferè latitudinis ; quæ tamen dimensio maxime incerta est. Adversariis incredibilis ideò videtur ille filiarum numerus , quia eam supponeret incolarum multitudinem , quam ferre non possunt loci angustię. Computationem igitur ineamus.

Triginta duo filiarum millia , totidem vel circiter mares supponunt ; quod efficiet 64 juniorum utriusque sexus personarum millia. Hæc juvenus , juxta communem æstimationem , saltem dimidiam nationis partem constituere debet : ut ergo Madianitarum numerus habeatur , multiplicanda sunt 64000 per 2 ; quod summam non dabit , nisi 128000 hominum ; iis autem nutriendis par esse potest regio , quæ octo leucas longitudinis et totidem latitudinis complectitur.

Hujusmodi enim regio 248 circiter jugerorum ( *arpens* ) millia continere debet. Unum autem optimi soli jugerum arendis 4 hominibus sufficit ; verùm tres tantùm numerentur , 43 jugerorum

millia plùs quàm satis erunt ad nutrienda 128 Madianitarum millia ; supersunt igitur 205 jugerorum millia quæ pecoribus alimenta subministrabunt ; ergo etiamsi tota Madianitarum regio his limitibus contineretur , quos ipsi constituant increduli , sua narrationi Mosaicæ constaret veritas.

## COROLLARIUM.

*Ergo Religio Judaica divinitus instituta est.*

Illa enim Religio divinitus instituta est , in cujus gratiam Deus vera fecit miracula , verasque edidit Prophetias : atqui in gratiam Religionis Judaicæ Deus , Moysis ministerio , vera , etc.

1<sup>o</sup>. Quidem vera miracula. Hujusmodi sunt , virga in serpentem conversa , flumina in sanguinem , tota regio innumeris scatens ranis , Ægyptius pulvis in scyniphes mutatus , repentina muscarum procreatio , Ægyptiorum animalia subito enecata , tonitrua , fulgura , ignis , grando , hominis voci obsequiosa , columna nubis in modum tentorii per diem expansa , columna ignis , per noctem peregrinanti populo Dei prælucescens , scissum in duas partes mare rubrum , illud sicco pede trajicientes Israëlita , iisdem aquis jussu Moysis relabentibus obruti Ægyptii , manna per quadraginta annos divinitus missa ! salientes è rupibus aquæ , imperante eodem Moyse , lex in monte Sinai medius inter ignes et tonitruï fragores data , aperta terræ viscera ut rebelles sorbeat , etc. Hæc aliaque similia in Religionis Judaicæ confirmationem operatus est Deus , ut constat ex Pentateucho , cujus veritatem et integritatem demonstravimus : atqui ea omnia vera sunt miracula : ibi enim verum est miraculum , ubi constantissimis naturæ legibus derogatur ; atqui in prodigiis modò recensitis , constantissimis , etc. Quid enim , v. g. consueto naturæ ordini magis contrarium , quàm quòd maris aquæ in duas dividantur partes , suspensæque